

† R. P. Augustinus Benda (1869-1946)

secundus Provincialis Pragensis

Pluribus iam elapsis annis tamen silentio non est praetereunda vita, quam finivit sodalis Provinciae Pragensis venerandus et carissimus, quamque confratribus futuris ad exercitandos ad pietatem animos breviter saltem adumbratam tradere decet.

I. *Eius familia et adolescentia.* – Augustinus Benda honestis parentibus agricolis natus die 29 Augusti a. 1869, patriam habuit vicum Dubno prope Příbram in archidioecesi Pragensi in Bohemia. Nihil magis cordi habebant eius religiosissimi parentes, quam ut pietatem liberorum cordibus insererent Augustinumque, iam a teneris annis sacerdotium anhe-  
lantem, speciali cura foverent. Ex octo liberis fuit ultimus. Parvulus Augustinus pulchrum parentum exemplar videns coepit Thaumaturgam Sacromontanam, quae in sua vicinitate antiquitus colitur, saepius visitare et altaribus libentissime inservire. Devotione custodum B. M. Virginis, filiorum nempe S. Alfonsi, commotus exoptabat, ut ipsis adnume-  
raretur. Quem finem ut certius adipisceretur, adibat ab a. 1881 gymnasium in civitate Příbram et quidem cum excellenti progressu. Puer tredecim annorum in Sacro Monte occasione magni iubilaei a. 1882 observabat « spectaculum magnum, spectaculum grande, spectaculum admirabile, spec-  
taculum Angelis et hominibus », iuxta effatum Apost. Nuntii Vindobonensis Seraph. Vannutelli<sup>1</sup>, nihil opinans se ipsum post 50 annos similia festa sollemnia moderaturum. Festo Assumptionis B. M. V. a. 1885 rogavit in Sacro Monte praesentem Pl. R. P. Andream Hamerle, Provincialem austriacum, ut inter sodales S. Alfonsi admitteretur. Voti compos factus eodem anno iuvenatum in Kočířov (Ketzelsdorf) in Bohemia petivit.

---

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta XI* (1932), 151.

*II. Congregationem nostram ingreditur.* — Biennio post veste S. Alfonsi indutus est in Eggenburg, ubi tirocinium perfecit duce P. Mair et vota religiosa, quibus usque ad mortem fidelis mansit, in manus P. Aschbacher 9 VIII 1888 emisit. Ad theologiae studia se applicavit in Mautern, quibus absolutis in ecclesia B. M. V. «ad Scalas» Vindobonae a. 1893 sacerdotii characterem indelebilem e manibus Episcopi castrensis Msgre Coloman Belopotocky recepit. Secundo noviciatu expleto (1895) ad exercitia missionum destinatus est. Quanta ut missionarius pro Dei gloria animarumque salute egerit, Deus scit! P. Benda extitit servus Iesu Christi indefessus, operarius intrepidus, segregatus in evangelium Dei, a quo acceperat gratiam et apostolatum. Dotibus et facultibus quae verum perfectumque efficiunt missionarium abunde instructus, nimirum, ut ait Regula, prudentia, discretione, vero zelo, caritate magnoque ac eximio spiritu mortificationis et amore crucis, in magno redemptionis negotio dignus fuit Iesu Christi adiutor atque socius, cui omni modo, ut verum Redemptoristam decet, quam simillimus evasit. Universim perfecit (ab a. 1895-1935) missiones 154, tridua 3, exercitia religiosis 42, exercitia sacerdotibus 10.

*III. Quaenam munera gesserit.* — Propter disciplinae regularis exigiam observantiam, profundam scientiam atque pastoralem prudentiam varia munera ipsi concredebantur. Itaque iam ab a. 1904-1907 Pragae munere Procuratoris Prov. fungebatur. Anno 1907 Rector sacromontanus primo nominatus est. Ad Capitulum generale a. 1909 qua Vocalis deputatus est<sup>1</sup>. Eodem anno 1909 Rector Pragae fit et triennio elapso a. 1912 ad primarias curas in Provincia evehitur. Diebus ergo difficillimis magni belli europaei 1914-1918 munere Provincialis fungebatur. Magna fuerunt, quae Provincia his temporibus passa est. P. Aug. Benda praeside ob quinquagesimum anniversarium demandationis miraculosae imaginis B. M. V. de Perp. Succ. nostrae Congregationi celebres sollemnitates instituebantur, quae magno sane ei fuere solatio. Immani bello ad finem iam vergente a. 1918 Pl. R. P. Benda munus suum finivit. Kalendis Iulii Pragam, ubi duodecim annos vixerat et muneribus variis functus erat, reliquit Plsnamque abiit. Ad verbum oboedivit, sicut ante oboedientiam a subditis exegerat.

Serius P. Aug. Benda, qui iam antea, ut dictum, collegio sacromontano praefuerat (1907-1909), loco defuncti P. Zapletal secundo Rector in Sacro Monte nominatus, Kalendis Iulii 1925 munus suum ingressus est. Tum primo bello, quo totus orbis vastabatur, finito necesse erat sanctuarium Mariale celeberrimum renovari, adornari, devotionem erga Dei Matrem promoveri. Ad quae munera exsequenda P. Benda a Superioribus et ab ipsa Diva Montis Sacri — ut omnibus videbatur — electus est, nec fiduciam

<sup>1</sup> In photographia Capitularium (*Analecta XX*, 101) est a laeva sextus in secundo ordine ab infra.

eorum fecerunt, qui ultra duo triennia (1925-1933) opus tam arduum ipsi crediderunt. Quia memoria bis centenaria decoratae gratiosae Thaumaturgae aureis gemmatisque coronis (1732-1932) appropinquabat, novus Rector in aedem sacram digne ac splendide exornandam maximam curam impendit. In omnibus his P. Rectori « Maticce svatohorská », societas nempe S. Monti restaurando, valde succurrebat. Post septem annos curis expletos vidi diem, qui ipsius decessori concessus non est<sup>1</sup>. Quae tum senserit, cum desideria multorum annorum expleta, sudores ac labores grandes superatos videret, satis ex eo elucet, quod programma festorum sacerdotibus ad sollempne octiduum convocatis proponens vir ille fortis, motu animi victus, lacrimaverit piae gaudio, quia dies desideratus venit. Uno verbo, magna pro Sacro Monte contulit et vere eius restaurator appellari meruit! Arx et devotio Marialis novo resplendebat nitore, cum a. 1933 discederet!

IV. *Quibusnam virtutibus eminuerit.* – Semper sibi P. Benda conscius erat, se non solum sacerdotem, sed etiam religiosum esse. Qua de causa nitebatur, ut spiritum religionis in omnibus laboribus apostolicis retineret. Probatam normam sequebatur: « Serva ordinem, et ordo servabit te », ideoque omnes Constitutiones fideliter observabat. A genuino religioso exposcitur, ut in omnibus rebus Regulae Superioribusque oboediatur, P. Benda ab exordio vitae religiosae Regulam nosse satagebat eamque inter primos libros in mensa collocandam esse censuit, ut semper praestos esset. Saepe eam legebat, praesertim diebus recollectionis. Superior se vere curabat, ne quis abesset, cum Regula legeretur. In Constitutionibus voluntatem Dei videbat, quare vel minimam, v. gr. signo dato statim surgere, observabat. Superiores tamquam vicarios Dei agnoscebat; senex sexagenarius coram Superioribus 25 annis minore ad terram genuflexus pronuntiabat: « Benedicite, Pater, ad deambulandum! » A nullo plura quam Regula poscebat. Vere vir disciplinae et ordinis! Quod ad paupertatem attinet, quam diligenter licentiam ad necessaria exposcebat! Schedula cum indice rerum permissarum testatur: « Obtinui benedictionem: mane hora tertia surgere, machina typographica uti, medicamenta praescripta mihi procurare, vestes huiusmaius in cubiculo retinere ». Bene sciens tempus quoque bonum Congregationis esse, eo utebatur iuxta votum Regulae, quae a nostris postulat, ut omnem aetatem inter libros pie transmittant. Quam ob rem usque ad mortem libenter litteris studebat.

Si ipse exemplarem vitam religiosam ducebat, non mirum, quod etiam alios verbo et exemplo exhortabatur ut perfectioni suae operam darent. Conferentiae eius asceticae, quas coram communitate ut confrater vel Superior habebat, spiritum S. Alfonsi eiusque discipulorum ollent. Omne

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta XII* (1933), 348-353.

perfectionis studium his verbis expressit: «Humilitas, humilitas, humilitas, caritas, modestia, contritio, mortificatio, puritas cordis, amor, proximi! In his te exerce et ad sanctitatem pervenies! Imprimis autem humilitas!». Ita sanctissimo Redemptori et S. Alfonso se conformare satagebat!

Summam pietatem in sincero amore erga Deum et animas maxime derelictas conspiciebat. Qui amor vires ei praebebat ad labores perficiendos ac dolores tolerandos, quibus praesertim ultimis aetatis suaे annis vexabatur. «Ne unum quidem verbum vanum locutus est», testatur medicus, qui multos annos Patri Benda medebatur eique conscientiam aperiebat. Vere homo apostolicus, religiosus exemplaris, S. Patris Alfonsi dignus filius!

*V. De suprema eius vita et morte.* - Rectoratu sacromontano perfunctus, secundo Plsnam venit a. 1933, ubi, licet infirmus, varia munera fere usque ad mortem fideliter obibat. Hoc in recessu dilectus Pater duo iubilaea celebravit. Primum quinquaginta professionis annorum cum confratre suo P. Polepil et quidem coram Palladio Veteroboleslaviensi a. 1938, quo ipsa B. M. V. celeberrimo illo loco sollemniter iubilabat<sup>1</sup>. Alterum aureum sacerdotii iubilaeum a. 1943 Plsnae, quod magno splendore populique concursu absolutum est. Non solum confratres, sed etiam deputati cleri saecularis advenerunt. Superior Provincialis praeclare dixit; praeter epistolam gratulatoriam Rm̄i P. Generalis alia Summi Pontificis perlecta est. Ut dictum, P. Benda Plsnam valetudine iam adversa se contulit. Morbi eius secundum testimonium medicorum erant totalis arteriosclerosis, bilateralis hernia, carcinoma recti. Patiebatur multum tempore belli (1939-1945), quo sicut ceteri sodales extra collegium habitare coactus est. Domo a nostris iterum occupata etiam P. Benda rediit ut moreretur. Adhuc per totum annum ad sacram litandum ecclesiam vel sacellum petebat. Die 3 Maii 1946 ultimam Missam litavit; paulo post sacramentis morientium munitus est, et finis proximus iam expectabatur. Exinde relictis rebus omnibus, nihil aliud egit nisi ut voluntati divinae suam in omnibus subiectam haberet voluntatem. Postremo die Maii in amplexu sui Rectoris precibusque sui confessarii adiutus placide exspiravit. Annos natus 77, quorum 58 in Congregatione degerat, a Domino vocatus est digne remunerandus. Fuit hora postmeridiana secunda et dimidia festi B. M. V. omnium gratiarum Mediatricis. Corpus eius conditum in coemeterio plsnensi ad S. Georgium magna turba fidelium arcam eius concomitante et plan gente. Ave, anima pia! Memoria tui omnibus nobis permaneat indelebilis!

FR. SKÁCEL

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta XVIII* (1939), 27-33.